

ille tam manifestus ac præsens, quam coelum ac sidera, insedit. Quo magis aptum piūque est, te, Jupiter optime maxime, antea conditorem, nunc conservatorem imperii nostri, precari, ut mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio: utque omnibus, quæ dicentur a me, libertas, fides, veritas constet: tantumque a specie adulationis absit gratiarum actio mea, quantum abest a necessitate.

II. Equidem non consuli modo, sed omnibus civibus enitendum reor, ne quid de principe nostro ita dicant, ut idem illud de alio dici potuisse videatur. Quare abeant ac recedant voces illae, quas metus exprimebat: nihil, quale antea, dicamus: nihil enim, quale antea, patimur: nec eadem de principe palam, quæ prius, prædicemus: neque enim eadem secreto loquimur, quæ prius. Discernatur orationibus nostris diversitas temporum, et ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint actae. Nusquam ut deo nunc, nusquam ut numini blandiamur. Non enim de tyranno, sed de cive: non de domino, sed de parente loquimur. Unum ille se ex nobis, et hoc magis excellit atque eminent, quod unum ex nobis putat; nec minus hominem se, quam hominibus paeesse meminit. Intelligamus ergo bona nostra, dignosque nos illius usu probemus, atque identidem cogitemus, quam sit indignum, si majus principibus praestemus obsequium, qui servitute civium, quam qui libertate laetantur. Et populus quidem Romanus dilectum principum servat: quantoque paullo ante contentu formosum alium, hunc fortissimum personat; quibusque aliquando clamoribus gestum alterius et vocem, hujus pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat. Quid nos ipsi? divinitatem principis nostri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, ut amor et gaudium tulit, celebrare universi solemus? Jam, quid tam civile, tam senatorium, quam illud additum a nobis Optimi cognomen? quod peculiare hujus et proprium arrogantia priorum principum fecit.